

per Mafietum Brodam notarium Laudensem nomine et vice predictorum dominorum generalium dicte civitatis et . . vicarii potestatis et consilii et consiliariorum et comunis et hominum dicte civitatis. Cum omni reverentia fecit et prestitit in manibus prefati domini Bertoldi comitis de Niffen serenissimi principis domini Ludovici Romanorum regis semper augusti in partibus Ytalie vicarii generalis, recipientis nomine prefati domini Romanorum regis et sacri imperii, debitum fidelitatis sacramentum et iuravit ad sancta Dei evangelia, corporaliter tactis scripturis, in animabus et super animas predictorum dominorum generalium dicte civitatis Laude, consilii et consiliariorum et comunis et hominum dicte civitatis, quorum syndicus et procurator est, quod ipsi et quilibet ipsorum erunt fideles amatores sacri imperii et prefati domini nostri domini Ludovici Romanorum regis semper augusti et . . vicarii eiusdem et eidem domino Bertoldo comiti et vicario regio et spetiali nuntio dicti domini regis obedientes erunt in omnibus tamquam vero et spetiali domino sibi que respondebunt de iuribus et servitiis imperio debitis et conspectis. Promitens dictus syndicus nomine dictorum dominorum generalium Laudensium et dicti comunis et singularium personarum dicte civitatis Laude, quod sacri imperii et prefati domini Ludovici Romanorum regis et dicti . . vicarii honoris et status et iuris in quacumque parte et contra quascumque personas erunt amatores et ferventissimi defensores toto posse, et si quid honori aut iuri sacri imperii et dicti domini Romanorum regis et dicti . . vicarii senserint derogativum aut quod persone honoris et iuris cederet ad periculum aut alicuius membri regie mayestatis lesionem, id statim^a ipsi per ipsos seu alios curabunt fideliter et celeriter revelare et quod alicui rebeli nec inimico sacri imperii aut dicti domini regis vel . . vicarii eius nullum prestabunt auxilium vel favorem, et cetera fatient, que ad decus et reverentiam sacri imperii et dicti domini nostri perveniant. Promitens dictus syndicus sub obligatione omnium bonorum dictorum dominorum, consilii et consiliariorum comunis et hominum dicte civitatis, predicta omnia et singula attendere et observare et perpetuo contra non venire in toto nec in parte dicto, facto, consilio, auxilio vel opere. Et de predictis rogavit me notarium, ut inde conficerem publicum instrumentum.

Actum ut supra presentibus suprascriptis testibus.

a) Corr. aus 'statum'.